

Bibliothèque numérique


medic@


**Rufin, Antoine - candidat / Bordenave,
Toussaint - président. - De fractura
colli femoris**

1771.


***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi,
Cote : ms 2344, n°1***


COLLECTIO
THESIUM QUÆ
REGIIS IN SCHOLIS
CHIRURGORUM HABITÆ
FUERUNT AB ANNO
1771 USQUE AD
ANNUM 1780





I 77 I





1

DE FRACTURA
COLLI FEMORIS,
THESES
ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ,

Quas, DEO JUVANTE & Præfide M. TUSSANO
BORDENAVE, Artium & Chirurgiæ Magistro,
Scholarum Præposito, Professore Regio, Regiæ Chi-
rurgiæ Academiæ pro commercio extraneo Secretario,
Scientiarum Academiæ Rhotomagensis, nec non Flo-
rentinæ Socio, tueri conabitur, ANTONIUS RUFIN,
è Montillio Ademari, Artium Liberalium Magister.

P A R I S I I S,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die sabbati sextâ Julii, à sesqui-Secundâ post meridiem ad septimam
A. R. S. H. 1771.

PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREA.



Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

M. DCC. LXXI.

Λ

DE FRACTURA

COLLI FEMORIS

THESES

ANATOMICA ET CHIRURGICA

Quas, Dno Juvenate & Præfide M. TUSSANO
BORDENAVE, Actum & Chirurgie Magistro,
Scholæ, Træpore, Pædagogicæ Regiæ, Regni Chi-
rurgicæ Academiæ pro commentario extenso Secretario,
Scientiarum Academiæ Rheotomagensis, nec non
Rheotomensis Societatis, Socii, Antiquus Rector,
Monsieur Adam, Rector Librariæ, Magister.

P. A. R. I. S. I. S.

IN REGIIS CHIRURGICORUM SCHOLIS

De Fractura Colli Femoris, & de eadem ad Reducendum

PRO ACTU PUBLICO

ET

MAGISTERII LAUREA



Typis P. A. L. T. R. A. S. R. Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

M. DCC. LXXI.

A



D. O. M.
DE
FRACTURA
COLLI FEMORIS.
THESES
ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

OSSA, præ cæteris corporis partibus dura & compacta, eleganti apparatu diversimodè inter se ita disponuntur, ut dum non-nulla exquisitâ ordinatione visceribus plerisque propugnaculum præstant & tutamen, alia simpliciore fabricâ partibus mollibus sustentaculum & figuram, musculis directionem, toti denique corpori fulcrum præbeant. Non satis

A

ergo miranda egregia illa ossium dispositio, quâ, dum firmatur corpus, ad varios & multiplices motus etiam comparatur; sic que spontè moveri, diversas actiones ad vitam & usus extraneos necessarias adimplere, imò ex uno loco ad alterum transferri valet. Si motibus innumeris, exquisitis, unoquoque instanti inter se pro voluntate discrepantibus, fortioribus modò, modò levioribus, gaudent extrema superiora & præsertim manus; non minori utilitate commendantur extrema inferiora, quibus alternè agentibus ad varias directiones impellitur corpus, movetur, saltando elevatur, progrediendo transfertur, denique in variis positionibus sustinetur. Fractis Femoribus, aut ossibus crura constituentibus, satis superque hi usus comprobantur.

§ I.

INTER varia corporis ossa, magnitudine, longitudine, mole distinguitur os Femoris; figuram ferè cylindricam refert, si tamen partem ipsius posteriorem excipias; in directione suâ longum, antè leviter incurvatur.

IN Femore distinguuntur, pars media seu corpus, & extremitates, quarum una superior, inferior altera. Pars media, præcipua, compactâ & solidiori ossis substantiâ constituitur; faciem, antè semi-cylindricam, postè verò in utroque latere depressam exhibet, lineâ asperâ divisam, quæ ab utroque trochantere orta ossis longitudinem postè decurrit, & inferiùs discedens versùs condylum utrumque terminatur, sicque ibi spatium complanatum & triangulare describit. Postè etiam conspicitur ductus substantiam ossis decurrens, quo vasa interiùs transmittuntur.

Os compactum in medio, canalem habet reticulari substantiâ intertextum, medullæ continendæ dicatum; minùs compactum fit pro ut versùs extrema tendit, eaque est ipsius substantiæ dispositio, ut progrediendo lamellæ constituentes ab invicem discedant, sicque ibi os fiat cellulare & spongiosum.

IN extremo superiori caput, collum & tuberositates, vulgè

3

trochanteres dictæ , annotanda. Caput eminentiam globosam ferè , cartilagine lævigatâ obductam , collo tenuiori & oblongo suffultam offert ; ab extrâ obliquo tractu internè superiùs & anteriùs tendit , ita ut pars capitis præcipua superiùs spectet & cum ossibus innominatis articuletur. In junioribus veram exhibet epiphysim , tuncque motu violento , vel quâlibet causâ minùs gravi quandoque ab osse discedit ; contrà ætate progrediente cum osse fortiùs coadunatur , agenteque causâ quâlibet violentâ potiùs frangitur. Infrâ mediam convexitatem capitis , in foveâ ferè semi-lunari adhæret ligamentum , rotundum vulgò dictum , licet leviter complanatum , quo cavitati cotyloideæ connectitur Femur.

INFRÀ caput conspicitur collum , in medio depressum , rugosum & inæquale , situm interiùs , sæpiùs obliquè , transversim quandoque tendens ; parti ossis superiori & internæ adhæret.

TROCHANTERES ab usu nomen acceperunt ; in majorem & minorem distinguuntur. Major posteriùs & externè basi colli implantatur ; apicem efformat posteriùs spectantem , leviter concavum , internè inæqualem , cui plurimi musculi Femoris rotatores terminantur. Minor posteriùs & inferiùs situm habet ; intrò vertitur ; huic etiam adhærent musculi. Trochanter uterque posteriùs eminentiâ majori , oblongâ , obliquè decurrente inter se unitur ; anteriùs etiam inter utrumque spectatur linea rugosa , obliqua , minùs elevata , latior , quæ basi colli terminatur.

EXTREMUM Femoris inferius , latum , crassum , basim offert tibiâ suffultam. Hic annotantur præsertim eminentiæ duæ majores , anteriùs unitæ , in modum trochleæ leviter excavatæ , posteriùs verò ab invicem spatio majori disjunctæ & protuberantes , condylorum nomine designantur. Internus unus , si seorsim spectetur , longior apparet ; si verò in corporis situ naturali perpendatur , vix excedit & positionem habet cum altero parallelam & ferè æqualem ; externus latior anteriùs paululùm protuberat. Posteriùs inter utrumque fovea major , plurimis foraminibus conspicua excavatur ; hîc inæqualis superficies , & versùs condylum

A ij

4

internum inferius, externum verò supernè annotantur facies
ligamentis cruciatis accommodatæ. Cartilagine lævigatâ in
totâ extensione obducuntur condyli, sicque non tantum tibiæ
flexionem, verum etiam tibiâ flexâ, ipsius suprâ os Fe-
moris rotationem admittunt.

CAVITATE coryloideâ profundè insculptâ, cum ossibus
innominatis enarthrosi supernè fortiter articulatur os Femo-
ris, & ligamentis retinetur; infernè cum tibiâ per gin-
gylum jungitur, & ibi suprâ ipsum patella movetur.

MAJOREM extremi inferioris partem constituit os
Femoris; solum sustinet corporis pondus, si uno tantum
Femore innitatur; illud verò alternè partitur cum altero,
dum ambulamus, dum unoquoque Femore corpus fulcitur;
lineam gravitatis corporis alternè ab uno ad alterum trans-
mittit, vectemque longiorem offert & fortiores quâ mus-
culi potentiores truncum in femur, aut femur in truncum
& tibiâ movent, axim denique præstat quâ truncus suprâ
Femur, vel Femur suprâ truncum rotatur.

JUXTA trunci longitudinem obliquè extenditur quod
libet os Femoris; in parte suâ superiori ab altero invicem
discedit, dum inferius ad alterum approximatur. Ex illâ
dispositione obliquâ condylus uterque in eâdem lineâ situm
obtinere, licet in osse Femoris à corpore separato condylus
internus longior videatur. A directione colli repetendus
ille situs, indeque deducenda ratio quâ gravitas corporis
non secundum axim Femoris agit, sed secundum lineam
mediam inter caput & corpus ossis, sicque tendit versum
partem internam articulationis genu. Hinc etiam si vires
non agant directè in partem mediam ossis, oritur potius
colli Fractura, dum aliæ partes non franguntur & resistunt.

§. I I.

DE Fracturâ colli Femoris siluere Veteres; ipsis parum
cognita fuisse videtur hujus - ce mali indoles, vel saltem
pro alio morbo, luxatione putâ, habebatur. Non rarus
tamen ille morbus, eumque extrâ omne dubium evincunt

quàm plurimæ Neotericorum observationes. Huic non obstat
partis structura ; favent potius textura ossis cellulosa & mi-
nus resistens , colli angustia præ cæteris partibus , ejusdem
positio lateralis & obliqua intrâ axim motûs.

SIMPLEX ut plurimum hæc fractura , situque tantum
differt modò superiori propè caput , modò inferiori propè
corpus ossis ; quandoque etiam composita , si collum fran-
gatur in plures partes ; aut complicata , quando frangitur
magnus trochanter , lacerantur muscoli , contusione majori
partes afficiuntur , &c.

CAUSA quælibet fortiùs agens in Femur , collum ejus
frangere valet. Rumpitur equidem frequentius pars media
in aliis ossibus oblongis , quàm extrema ; sed si ratio ha-
beatur positionis & structuræ colli Femoris , hujus fracturæ
facilitas patebit , unde lapsu vel ictu quolibet Femur im-
pengente , in illam præcipuè partem , quæ magni trochan-
teris nomine designatur , sequitur potius fractura quàm
luxatio , si quidem ad hanc , cæteris paribus , majores
requiruntur nifus & violentia.

HUJUS-CE fracturæ signa veteribus ignota , tanquam
alterius morbi indicia perperam habebantur , si quidem
apud eos perfectum hac de re silentium , nullaque diagnosi.
Non item apud recentiores ; observationibus edocti , morbi
naturam exposuerunt eruditè , signaque certiora attendenti
cui libet perspicuè obtulerunt. Dignoscitur autem hæc Frac-
tura dolore acutiori in parte Femoris superiori propè
ingen , impotentiâ motûs , longitudine auctâ vel immi-
nutâ pro ratione dimotionis ; extrâ prominet magnus tro-
chanter , faciem exteriorem ossium ileorum premit , perci-
piturque crepitatio , dum partes fractæ ad invicem accedunt ;
Femur fractum ab altero dimoverit nequit , nisi cum dolore ,
contrâ absque sensu doloris ad alterum accedit ; sed præ
cæteris certius indicatur positione genu & extremi pedis
exteriùs spectante cum inflexione genu (a).

(a) Hæc signa dilucidè exposita , observationibus confirmata , am-
plius consuli possunt , in Tom. IV , Comment. Reg. Chir. Academ.

PEDIS licet extremum intrâ vel extrâ moveri possit, à motu tamen abstinendum, ne dolor, inflammatio, laceratio, febris, aliaque accidentia augeantur.

ABSENTE dimotione ossis in primis temporibus minùs facilè dignoscitur morbus; ab impotentiâ motûs, crepitatione & minori resistentiâ, tunc judicium habeatur.

EADEM ferè signa separationem colli in junioribus indicant: ab ætate ægrotantis, minori violentiâ externâ, suspicio tantùm instituenda, alioquin pro fracturâ potest haberi.

HIS expositis fracturam colli Femoris à luxatione distinguere licet: in luxatione enim resistit os in hoc vel altero situ positum; extremum pedis in directione capiti oppositâ vertitur, & ad aliam directionem, etiam cum dolore acutiori, sæpiùs revocari non potest; accidentia denique magis vel minùs urgent pro capitis situ. Non item in fracturâ colli Femoris.

Ex naturâ suâ difficilè admodùm curatur hic morbus; motûs difficultas, claudicatio, membri abbreviatio ipsius curationem sæpiùs sequuntur, inde patet quænam debeat esse ipsius prognosis. Cautè tamen & prudenter invocanda omnia Artis auxilia; ab iis multùm sperare fas est, promittere verò certi aliquid vix licet.

AD curationem hujus - ce fracturæ, eadem ferè ut in aliis Fracturis curandi norma. Itaque si partes fractæ à propriâ sede dimoveantur, ut fiat reductio; 1°. propè pedem lateris ægrotantis applicanda extensio; 2°. laqueo intrâ fenum inguen disposito, & suprâ ileum ejusdem lateris retento, dum mantili circulariter appposito fixum corpus retinetur, contra - extensio celebranda. Partibus ita dispositis, ab omni compressione & irritatione immunes muscoli minùs resistunt, viribus extendentibus facilè cedunt, parsque

Mémoire sur les Fractures du col du Femur. Annotantibus Clar. Magistris Foubert, Louis, Sabatier.

fracta ad locum debitum tutius revocatur. Attendendum tamen in reductione, ut partes fractæ paululum ab invicem discedant, ne sibi obstant ossium asperitates; partibusque mollioribus circumstantibus lacerationem aut irritationem inducant.

FACILIS equidem partis fractæ reductio, difficilis verò ejusdem post reductionem in sede propriâ retentio, ob actionem musculorum in parte superiori femoris infixorum. Ad hunc finem parum competit fascia vulgò laudata, quæ spica dicitur; nocent etiam laquei quibus tunc pars extensa retinetur, unde plurima sequuntur accidentia, quæ ipsorum usum ablegant. Minus noceret fasciato à Clar. Duvernay proposita (a) quâ mediantibus fasciis ad figuram partis accommodatis, & cartis fortioribus alligatis pars continetur, fixa dein in totâ suâ extensione ferulis stramineis complanatis. Non magis juvaret machina à Clar. M. Bellocq inventa, rara & complicata; aliunde ipsius utilitati obstat laqueorum usus (b).

SIMPLICIORI methodo morbum hunc feliciter curari experientia comprobavit. Ægro supra stratum convenienter paratum posito, dispositisque ferulis aliisque rebus apparatus constituentibus, ut in fracturâ Femoris, suprâ apparatus reponitur Femur; extensione & contra-extensione sufficienti reductio celebratur, appositisque, in loco ægro tante, splenis liquore idoneo imbutis, pars fixa cylindris stramineis & soleâ tantum retinetur, super addito arcu ligneo. Simplex ille apparatus à Celeber. M. Foubert feliciter primum adhibitus, dolores levat, accidentia minuit; mox quidem contractis musculis pars iterum dimovetur, sed novæ extensiones celebrandæ, bisque iterandæ unoquoque die, primis saltem curationis temporibus. Extensionum necessitatem cognovit Paræus (c), sed harum utilitatem absque apparatu expertus est primus & edocuit Clar. Magister modò laudatus.

(a) *Maladies des Os, Tom. I.*

(b) *Mém. de l'Acad. Royale de Chir. Tom. III.*

(c) *Lib. de Fracturis, Cap. XXI.*

IMMINUTA sensim contractione musculari , rarior fit novæ extensionis necessitas , elapsisque quindecim aut viginti diebus , pars eodem in situ recta & fixa retinetur constrictis decenter ferulis , ut à dispositione requisitâ non recedat. Per tres menses , aut etiam longiùs , requiritur istius apparatus præsentia ; dein si pars consolidata videatur , cautè sustineatur æger fulcris suffultus , partem parùm moveat donec ad pristinos usus restituatur. Cæterum temporis spatium ad curationem necessarium ex circumstantiis , ægri ætate , indole , æstimandum.

IN primis curationis temporibus sanguinis missio plus minus-vè repetita , diæta , potus tenuis , topica , &c. pro accidentibus adhibeantur.

CLAUDICATIONEM comitem sæpiùs habet hujus-cæ fracturæ curatio ; sæpiùs enim pars non consolidatur , partes fractæ ad invicem atteruntur , fit quasi nova articulatio ; aut si consolidati videantur , à musculis circum positis , ligamentis & membranis induratis consolidatio repetenda : unde ambulatio , post fracturam colli Femoris curatam , tanquam certum consolidationis indicium non est habendum.

ITERATO motu & attritu collum Femoris quandoque evanescit ; ossis pars cellularis & spongiosa , mollior , humore pingui madida tensim mollescit , inspectioneque desideratur ; sic pars brevior claudicationem necessariò importat.

CURATIONE & deligatione methodicâ & longiori vitium istud vitatur , præsertim in junioribus ; in ipsis , cæteris paribus , faciliior & promptior consolidatio , verus quandoque formatur callus ; non item in senioribus.

FINIS.